DAPHNE.

ADeò circa Deos ſuos inſanire viſa eſt antiquitas: ut Maximiani panegyriſta diceret, *Dij plerumq; res humanas negligunt, ijs enim aliud fortaſsè curantibus grandines ruunt, terræ dehiſcunt, urbes hauriuntur, quæ ijs non hauriuntur volentibus, ſed aut aliorſum aſpicientibus, aut fatali rerum curſu urgente.* Hujus autem oratoris impudentiam ſuperavit poëſis, quis enim non rideat Martem ab Ephialte mancipatum vinculis, vulneratam à Diomede Venerem, Junonis mamillam ab Hercule transfixam, pœonicâ arte ſervatum à morte Plutonem, cœlumq; ipſum oppugnantibus gigantibus terrore concuſſum? & quaſi leve eſſet Deos miſerijs & vulneribus obruere, eorum etiam famam proſtituerunt poëtæ enormi adeò ſcelerum gravitate, ut dubium nobis relictum ſit, num major fuerit poëtarum temeritas cœlum criminibus prophanantium, vel amentior veterum religio eos venerantium ut Deos, in quos tanta ſcelerum atrocitas caderet, & quod mireris, quaſi ſe Poëtas eſſe obliviſcerentur; crudeli etiam in muſarum præſidē licentiâ non erubuerunt ei luxuriæ notam inurere, vix enim uti dicunt, in ſingularem Daphnes formam fixerat obtutum, cùm amori pectus penetranti ſuccubuit, etiam reluctantem pudicitiam oppreſſurus, ſed eam ipſam virtutem, quâ cœlum orbaverant, mundo communicârunt, mortalibus magis, quàm Dijs propitij, illa enim inſidiantem pudori Deum averſata fugam arripuit, ſed Apollini veſtigijs inſiſtenti alas conceſſerât amor, hinc licet illa non languidiùs pro ſervando pudore, quàm alter pro violando curſum præcipitaret, deficientibus tamen viribus ſuccumbendum erat; niſi invocato parentis auxilio in laurum abijſſet ipſamet ſui triumphi monumentum futura. Sint ſua Poëtis figmenta, nobis verò in Apolline expreſſam Sultani effigiem ſpectare liceat, cujus mentem urebat Auſtriæ felicitas, & animum jam ſpontè ſua in ambitionem promptum ſolli-

citabat Imperij Occidentalis amor, unica in votis erat Vienna, imperium totum uti videbatur in dotem latura: hinc eam profeſſo palàm ardore ambire cæpit, jamq; latè collucentibus tædis ex ardentium pagorum flammis feſtinabat renuentem toto robore cogere ad aſſenſum, & ſuorum corona circumdatam fatali amplexu ſtringere, niſi illa in extremis conſtituta obſtinâſſet animum ad repulſam, & ferente ſuppetias Patriæ Patre velut altera Daphne laurum induiſſet ornatura LEOPOLDI triumphum, adjunxitq; illi lauri qualitates Numinis æquitas in virtutis præmium, ut ſicut laurus nullo afflatur fulmine, & perpetuo virore ad hyemis invidiam luxuriat, ita Vienna in omnium animis ad inimicorum livorem vireat, ab hoſtili deinceps tuta fulmine, ſic Auſtriæ felicitatem promovit Turcarum irruptio, prius enim eam pauca tuebantur munimenta, nunc verò tot eam propugnant fortalitia quot Hungariam, & ſic illa cum Zenone, qui poſt naufragium Philoſophiæ operam dedit, dicere poteſt, *tunc ſecundis ventis navigavi, cum naufragium feci, periiſſem enim, niſi prope periiſſem:* Et Auſtriæ è ruinis magnificentiùs reſurgenti ea Ciceronis verba conveniunt, quæ de templo fulminis violentia conſumpto ac ſplendidius reædificato dixit: *Illa flamma divinitùs extitit, non quæ deleret Jovis templum, ſed quæ pulchriùs depoſceret.*

CO-